



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XXVIII. De Causa primâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

hoc appareat repugnantia, ut vidimus ex solutione argumentorum, probationes suprà sect. 4. adductæ æquè de creatione urgent, ac de aliis effectibus.

quàm non potest creare seipsum. Resp. posse Angelum elevari ad secundò creandum seipsum, ut suprà ostendi d. 19. sanctus autem Augustinus loquitur ut solum de productione, & creatione naturali.

VI. Objiciet aliquis S. Aug. l. 9. in Gen. c. 15. ubi asserit Angelum tam non posse quamvis rem creare,

DISPUTATIO XXVIII.

De Causâ primâ.

SECTIO PRIMA.

Utrum Causa prima immediatè cum secundis concurrat ad omnes suos effectus.

I. Causa prima, ut ab omnibus communiter definitur, est primum rerum omnium creatarum principium, quodq; à nullo alio sumit originem. Dari causam primam hic in libris Physicorum probant multi: commodius tamen hujus rei discussio differtur in metaphysicam.

II. Circa modum quo Deus ad operationes rerum creatarum concurrat, Durandus in 2. d. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. ut quasdam difficultates evitet, & præcipuè quomodo Deus non sit auctor peccati, ait creaturas non indigere immediato concursu creatoris ad omnes suas operationes, sed solum requirere ut ab ipso producantur, & conserventur, juxta illud Joannis 1. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & ad Rom. 11. v. 36. ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: item ad Hebr. 1. v. 3. portans omnia verbo virtutis sue: & alibi sæpè: quo posito, inquit Durandus, operari poterunt per se sine immediato Dei concursu, imò & de facto ita ait contingere.

III. Hæc tamen sententia antiquior videtur fuisse Durando: quam etiam sententiam defendit Nicolaus Bonetus l. 7. Theol. cap. 3. & non ita pridem P. Frat. Ludovicus à Dolâ libro de hac ipsa re scripto (ubi hanc quæstionem fusè & eruditè tractat) hoc idem ostendere conatur, multis ad id sanctorum Patrum ac Theologorum congestis testimoniis.

IV. Alij tamen acerrimè in hanc sententiam invchuntur, gravissimæque ei censuras incurrunt. S. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. ait eam proximam esse duobus erroribus, nempe esse duo prima principia unum bonorum, alterum malorum & Deum non esse causam universalem. Albertus Magnus in 2. d. 35. art. 7. dicit hanc sententiam à multis modernorum appellari hæreticam. Suar. d. 22. Met. f. 1. n. 7. ait eam esse erroneam in fide: & l. 1. de concursu Dei sic habet, ab omnibus probatis Theologis non solum reprehenditur, sed etiam ut error in fide rejicitur sententia Durandi & c. Bellar. l. 4. de gra. & lib. arb. c. 4. illam vocat errorem, & scripturis, Patrum testimonij, & manifesta rationi repugnare asserit. Molina parum ait esse tutam in fide. Vasq. 1. 2. d. 129. c. 3. n. 8. ait hanc sententiam Durandi erroris nomine ab omnibus scholasticis tandem esse rejectam. Conimb. Murcia, & alij hanc Durandi sententiam appellant periculofam, temerariam, erroneam, & Durandissimum, nec mitius de ea loquuntur, quam Orthodoxi de Arianismo, & similibus. Capreolus in 4. d. 12. q. 1. ad 1. eam asserit esse sententiam Manichæi. S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem docet hanc sententiam esse doctrinam Pelagij, qui, inquit, S. Hieron. dicebat Deum collato semel libero arbitrio, ulterius nobis ad operandum non esse necessarium, loquiturque de operationibus naturalibus, ut de motu manû, de ambulatione, & si-

milibus. Quod etiam fuisse placitum Lutheri docet Camerarius 1. de gratia & lib. arbitrio c. 10 §. 3.

Ego censuram de hac sententiâ non fero; hæc verò eò adduxi, ut ostendam quale judicium Philosophi ac Theologi, tum moderni tum antiqui de eâ formaverint: qua de re, cum tot ac tales viri conspirent, signum est, aliquid in eâ latere, ob quod digna non sit, ut ullus vir doctus illius patrocinium suscipiat. Unde meo judicio Pater Dola, qui virum se doctum & eruditum ostendit, melius & utilius in aliâ quæstione illustranda operam suam posuisset.

Secunda itaque & vera sententia docet, Deum, non virtutem tantum in actu primo operatricem rebus omnibus conferre, sed cum iis etiam ad singulas actiones immediatè & proximè concurrere: ita Doctor Seraphicus in 2. d. 37. art. 1. qu. 1. dicens hanc sententiam absque omni ambiguitate esse tenendam: unde mirum est, eum à P. Dola citari pro contrariâ. Scotus in 2. d. 1. & 37. q. unica. Gabriel, dicens hanc esse indubitatam opinionem apud Catholicos: Gregorius in 2. d. 35. qu. 1. ar. 3. Suar. d. 22. Met. f. 1. nu. 7. & l. 1. de concursu Dei c. 4. n. 2. dicens hanc esse veram & certam doctrinam, & in qua reliqui omnes, præter Durandum, conveniunt. Bellar. citatus, Vasq. 1. 2. d. 129. c. 2. ubi eam variis Scripturæ & S. Augustini testimoniis illustrat. Hurtado d. 10. phy. f. 2. n. 24. Arria. d. 10. phy. f. 1. nu. 7. Oviedo cont. 10. p. 1. n. 5. & alij.

Probatur primò tribus illis Scripturæ locis, nu. 2. allatis, quæ propriè nisi de concursu Dei immediato intelligi non possunt. Secundò, ex illo A. & 17. v. 28. in ipso vivimus, movemur, & sumus, ubi particula movemur, & sumus immediatam denotant dependentiam in existentia. Particula etiam in in phrasi Scripturæ idem sonat ac per, seu auxilio alicujus, & adjutorio fieri ut Psalm. 17. v. 20. In Deo meo transgrediar murum, & Psalm. 59. v. 14. In Deo faciemus virtutem, id est, Deo nobiscum cooperante, & concursum suum præbente.

Idem efficacius probatur ex illo Isaïæ 26. v. 12. Domine omnia opera nostra operatus es. Item 1. ad Cor. 12. v. 6. ait Apostolus qui operatur omnia in omnibus. Deinde Joan. 5. v. 17. dicit Christus, Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Quibus verbis utitur S. August. To. 3. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. aitque Deum non magna solum, & præcipue in nobis operari, verum etiam ista terrena & infima.

Hæc Scripturæ loca, licet (ut fatear quod res est) Deum cum creaturis ad omnes earum operationes immediatè concurrere non convincant, quisquis tamen indifferenti ea oculo inspexerit, inficiari nequit quin hanc sententiam valdè reddant probabilem: præsertim cum vix quidquam è Divinis litteris proferatur, quod opinionem, immediatam hunc Dei concursum negantem (excepto fortè actu peccati, de quo postea) vel probabiliter suaseat. Deinde, in Symbolo Concilij Nicæni habetur, Deum esse factorem visibilium omnium, & invisibilium, quod sine concursu Dei immediato vix commodè videtur explicari posse.

P. Hur-

X.

P. Hurtado d. 10. Phy. f. 2. n. 11. ait probare quidem hæc Deum de facto ad omnes operationes nostras immediatè concurrere non tamen non potuisse rem aliter contingere, Contrà primò, ergo ob hæc loca Scripturæ sustineri non potest sententia Durandi, & aliorum, qui ajunt Deum immediatè nobiscum in operationibus, & ad res alias producendas de facto non concurrere. Quod verò nec aliter posse contingere, ostendam sec. tertia.

XI.

Patres hæc Scripturæ loca intelligunt, etiam de possibili. S. Hieronymus. Loquitur S. Hieronymus de auxilio immediato.

Contrà secundò, non cuius arbitratu suo sis est sacram Scripturam, & Conciliorum Canones interpretari, sed juxta explicationem & sensum Patrum: Patres autem hæc non de facto solum, sed etiam de possibili intelligunt. Unde S. Hieronymus l. 1. contra Pelagianos acriter eos impugnans quòd dicerent posse se sine Dei auxilio scribere, ambulare, curvare digitum, &c. Quod verò respondet Durandus loqui S. Hieronymum in auxilio mediato, nullam habet probabilitatem, non enim negabant Pelagiani auxilium Dei mediatum, seu liberum arbitrium se accepisse à Deo, sicque mediatè, seu ratione illius posse operationes nostras tribui Deo, reprehendebat ergo illos, quòd actiones naturales sine alio Dei concursu, nempe actuali fieri posse assererent. Unde in

Verba Pelag.

Epist. ad Ctesiphontem supra citatà. Audite, inquit, sacrilegium, si vultis alucro curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit: Audi ingratus, &c. Non negabat iste in quem tam vehementer invehitur S. Hieronymus, virtutem se motricem à Deo accepisse, ergo ob aliud auxilium negatum, nempe actuale, eum redarguit S. Doctor, & ingratitude ac sacrilegij reum pronunciat.

XII.

Durandi opinio refellitur ex Patribus.

Secundò, hoc idem probatur ex Patribus. Inprimis de mente S. Hieronymi satis constat ex proximè allato testimonio. Idem expresse docet S. August. epist. 146. q. 2. Quomodo, inquit, negare poterimus Deum etiamnum operari cuncta qua sunt, cum Dominus dicat, Pater meus usque modo operatur. Quod etiam probat testimonium ejusdem S. Doctoris allatum supra, n. 4. Dicere autem Deum operari quia ante multa annorum millia produxit res alias, quæ longà serie modò alias producant, est impropriissima locutio: sic enim ignis à mille annis destructus posset dici jam operari, & ignem ac calorem producere, ut dicitur sec. sequente: Scripturæ autem & Patrum dicta debent in sensu maximè proprio accipi; ubi possunt, posse autem Deum immediatè cum creaturâ concurrere, nullus, credo, inficias ire audebit.

Scripturæ & Patrum testimonium debent proprio accipi.

XIII.

Testimonium S. Anselmi.

In eundem sensum loquitur S. Anselmus de concordia præscientiæ, prædestinationis, gratiæ & liberi arbitrij, cap. 1. Facit, inquit, Deus omnia, quæ iusta, vel iniusta voluntate sunt, id est, opera bona & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt, in malis facit quod sint, sed non quod mala sunt. Hæc ille.

SECTIO II.

Ratione probatur Deum ad omnes rerum creaturarum operationes immediatè concurrere.

I.

Deus, in sententiâ Durandi, non esset propriè causa universalis.

Probatur primò, si enim Deus non alio modo in rerum creaturarum operationes influat, in ignem ex. g. calorem, lucem, &c. quàm quòd horum effectuum causas primò produxerit, derogaretur conceptui causæ universalis, jam enim non magis esset Deus causa universalis rerum creaturarum, quam Adamus causa universalis omnium hominum, primus ignis, equus, leo, omnium ignium, equorum, leonum &c. quod perfectioni, & dignitati Dei multum detrahit.

Secundò, per concursum immediatum Dei in res omnes longè melius explicatur perfectà dependentia quam dicit creatura à creatore, si scilicet dicatur non in essendo tantum, sed etiam in operando ab illo immediatè dependere, hæc enim est perfectissima dependentia, & consequenter, si est possibilis, tribui debet creaturis respectu Dei, & Creatoris.

Tertio, multò clariùs intelligitur absolutum & perfectissimum Dei in res omnes dominium, ut possit liberè vel imperare vel impedire earum actiones, & non de ipsâ solum entitate creaturarum, sed de earum etiam actionibus liberè disponere, quod spectat ad perfectissimum dominium; hoc autem in contrariâ sententiâ non ita facilè declaratur.

Quartò probatur, de conceptu creaturæ ut creatura est, est dependere à creatore; sicut enim conceptus Dei & creatoris est conceptus independentis, & ut non sit ab alio, nec à quopiam in existendo dependeat, sed sit à se; ita è contrario conceptus creaturæ est conceptus dependentis, & petit essentialiter dependere à creatore, idque immediatè, dependentia enim remota est quasi nulla, ut dixi sec. præcedente num. duodecimo.

Quintò, sicut creaturæ sunt entia per participationem, ita & agentia per participationem, ergo non in esse solum, sed etiam in operari dependent à Deo: unde sicut per solam subtractionem concursus potest Deus illas destruere, & facere ut non sint, ita & per solam subtractionem concursus facere similiter poterit ut non operentur.

Obijcies primò; causæ creatæ aliquando adæquant, aliquando superant in perfectione suos effectus, ergo ad eos producendos ope alterius non indigent. Nego consequentiam, licet enim Angelus sit in perfectione æqualis alteri Angelo, & albedo albedini, non tamen potest ille Angelum, hæc albedinem producere, ergo ex æqualitate perfectionis nullum sumitur argumentum ad productionem. Hic autem peculiaris est exigentia concursus causæ primæ, ob rationes jam allatas.

Obijcies secundò: si causa prima & secunda concurrant immediatè ad eundem effectum, ergo vel utraque imperfectè procedit, vel altera est superflua; nam si non procedant imperfectè, utraque sufficit, si autem utraque sufficiat, ergo altera est superflua. Resp. negando sequelam, utraque enim sufficit, non simpliciter, sed in suo genere, Deus in genere causæ primæ, & universalis, à qua res omnes essentialiter dicunt dependentiam: creatura in genere causæ particularis, & secundæ, quæ essentialiter dependet à primâ simul concurrente.

Obijcies tertio: ergo Deus producit etiam actus prave, sicque erit causa peccati. Huic difficultati satisfiet disp. sequente.

SECTIO III.

Utrum Deus ita concurrat immediatè cum creaturis, ut aliter fieri non possit.

Probatur primò, si enim Deus non alio modo in rerum creaturarum operationes influat, in ignem ex. g. calorem, lucem, &c. quàm quòd horum effectuum causas primò produxerit, derogaretur conceptui causæ universalis, jam enim non magis esset Deus causa universalis rerum creaturarum, quam Adamus causa universalis omnium hominum, primus ignis, equus, leo, omnium ignium, equorum, leonum &c. quod perfectioni, & dignitati Dei multum detrahit.

Perfectissima modo possibilibus dependere debet creatura à Deo.

Clarior intelligitur perfectissimum Dei in res omnes dominium.

Probatur etiam conceptus operis, & creaturæ.

Res creatæ sicut entia, ita sunt agentia per participationem.

Æqualitas perfectionis non arguit aliquid non egere ope alterius.

Causa prima non concurrat imperfectè.

VIII.

Opinatio Durandi, quidam tamen nullo firmo argumento ostendunt.

cenfuras in contrariam sententiam latas id audent afferere.

II. Mihi verò dicendum videtur, creaturas non solum effectus suos sine Dei concursu de facto non producere, sed nec hoc modo producere eos posse. Primò enim id suadent auctoritates Patrum supra allatae.

III. Secundò, creatura illa quam Deus ad hoc munus loco suo sufficeret, ad ignem ex.g. simul cum igne, sine immediato Dei concursu producendum, vel esset naturalis, vel supernaturalis: non secundum (quod tamen asserere videntur hi auctores, dum eam supernaturaliter influere debere affirmant) substantia enim supernaturalis dari nequit, ut suppono ex primà parte, ubi hoc communiter docent Theologi: creatura autem hæc substantia esse deberet, cum accidens causa principalis substantiæ esse non possit. Nec etiam esse potest naturalis, cur enim non dicemus coelum nunc, aut solem esse ejusmodi creaturam, si quo de facto res omnes sine concursu Dei immediato produci? Certè nullum in hoc sequitur inconveniens, quod in illà rerum serie non sequeretur, inconveniens enim tantum esset quòd res creatæ solæ, sine concursu immediato Dei effectus suos naturaliter producerent, id autem in illà rerum peristat contingeret, ergo &c.

IV. Tertiò, derogare videtur perfectissimo Dei in res omnes dominio. Quartò, sicut infinita Dei scientia essentialiter postulat, ut nulla res existere possit, quin eam Deus actu cognoscat, ita infinita ejus virtus productiva poscere videtur, ut nihil existere possit, quin illud Deus actu producat.

V. Quintò & præcipuè, quia juxta P. Hurtado, etiam dato quòd de facto non concurrat Deus ad omnes, vel aliquas operationes creaturarum immediate, adhuc censetur ab ipso & omnibus inconveniens, si non posset concurrere immediate ad omnes earum operationes, imò hoc judicat P. Hurtado hæresi proximum, vel saltem temerarium: sed si de facto non concurrat Deus immediate ad omnes operationes creaturarum, sequitur, nec posse eum immediate ad plurimas ipsarum operationes concurrere, ergo. Major admittitur ab adversariis: Minor probatur, si de facto Deus non concurrat immediate cum igne ad productionem caloris A, vel ignis, cum sole ad productionem lucis, & sic de alijs, actiones illæ profluunt immediate à solo igne, vel sole, & non à Deo: sed tunc actiones istæ nec per Divinam potentiam dependere poterunt immediate à Deo, ergo. Minor probatur, actio quæ semel est totaliter unius agentis, non potest nec partialiter esse actio alterius, nec enim minorem connexionem habet, nec minùs essentialem respectum dicit actio ad agens, quam ubicatio ad spatium, aut unio ad extrema, ergo aliquæ operationes creaturarum peterent essentialiter non dependere immediate à creatore: ergo ex hac sententià id sequitur, quòd ab omnibus magnum censetur inconveniens.

VI. Hinc inferitur modum concurrendi causæ primæ, longè esse perfectissimum, utpote quæ petit ut res omnes ab eà dependeant, & sine cujus influxu, nec ad momentum persistere possint. Unde & arguitur imperfectio non perfectio in architecto quòd domus ab ipso extructa, ab eo non dependeat in conservatione: arguit enim minorem esse necessitatem architecti, minùsque quasi illi debet domus, cum solum primum esse ipsi debeat, non conservationem. Deinde, domum illam perpetuò conservare nequit architectus, tum quia defatigaretur, tum quia uni semper tantum loco affixus esse deberet, quorum neutrum reperitur in causà primà, utpote quæ & ubique existit, & in quam nulla cadit defatigatio.

Quæres utrùm causa prima & secunda, dum ad eundem effectum concurrunt, dici debeant causæ partiales? Resp. ex parte effectus non sunt partiales, si per causas partiales intelligantur illæ quarum una producit unam partem effectus, altera aliam; nam tam Deus quam creatura producit totum effectum: sicut cum duo homines simul portant idem pondus, singuli portant totum. Si autem sermo sit ex parte causarum, aliqui dicunt posse eas vocari causas partiales, alij negant; sed his est de modo loquendi, si enim causa partialis sit, quæ sola sine alterius consortio non produceret hic & nunc effectum; seu non eo influxu ad eum concurreret, quo de facto concurrat, utraque est causa partialis: sin verò per causas partiales intelligatur, non esse utramque sufficientem in genere suo, falsum est dicere esse causas partiales. Dici ergo possunt materialiter causæ partiales, formaliter, seu unaquæque in suo genere, totales.

Concurrat ergo Deus cum creaturis omnibus ad omnes earum actiones immediate, non solum in mediatione virtutis, sed etiam suppositi, id est, actio illa, quæ operatur creatura, fluit etiam immediate ab ipso Deo, & non ab aliquo ipsius loco substituto. Nec concurrere Deum immediate, immediatio- ne virtutis intelligi potest de solâ creaturâ, nam illa non est, propriè loquendo, virtus Dei in operando, hæc enim est solâ Dei omnipotentia.

VII.

Causa prima, & secunda simul dicenda causa partiales.

VIII.

Concurrat Deus, non immediatio, ne solum virtutis, sed etiam suppositi.

SECTIO IV.

Verùm causa prima concurrat cum secundis eadem actione.

Ratio dubitandi est quia non videtur quomodo eadem numero actio possit procedere à duobus principiis realiter distinctis. Conf. hinc enim sequeretur, aliquando eandem actionem esse transeuntem & immanentem, ut in actibus intellectus nostri & voluntatis, qui simul à principio intrinseco, & extrinseco procederent.

Ad argumentum Resp. nullum in eo reperiri inconveniens, in causis præsertim subordinatis: sicut, juxta probabilem sententiam, eadem visio potest esse diversorum objectorum disparatorum, ut albedinis & viriditatis, multò magis subordinatorum, ut coloris & lucis: quòd de intellectu est manifestum, hic enim eodem actu in objecta fertur diversissima, & maximè disparata. Causæ autem subordinate illæ dicuntur, quæ ex naturâ suâ ordinantur ad eundem effectum, ut intellectus, species impressa, & habitus, quæ tria vix quicquam dixerit actionibus diversis concurrere ad eandem in electionem. Similiter causæ subordinate sunt Deus, & creatura, ita enim creatura in agendo subordinatur Deo, seu ab eo dependet, ut sine immediato illius concursu nihil omnino præstare possit, ut jam ostensum est.

Ad confirmationem dico, id nullam involvere repugnantiam respectu diversorum principiorum: non tamen sequitur, simpliciter eandem actionem esse immanentem & transeuntem, sed esse immanentem respectu creaturæ, intellectus scilicet ejus, aut voluntatis, in quibus recipitur: transeuntem respectu Dei à quo efficitur, sed non recipitur. Sic non est dicenda simpliciter vitalis & non vitalis, sed vitalis ut ab hoc principio, non vitalis ut ab illo. Item actio quæ ignis producit ignem, est libera respectu Dei, non libera sed necessaria respectu ignis. non tamen est libera & non libera simpliciter, tunc enim respectu ejusdem principij illas duas rationes sortiri deberet, quòd implicat, cum implicet idem principium

I.

Proponitur ratio difficultatis.

II.

Varia potentia eodem actu feruntur in objecta diversissima.

III.

Quid sit causa esse subordinata.

III.

Actus intellectus creati est intellectus immanens, Deo transeuntem.

III.

Eadem actio quomodo sit vitalis, & non vitalis, libera, & non libera.

pium ita se habere, ut simul sit in illius potestate ut procedat vel non procedat ab eo actio, & simul non sit in illius potestate ut procedat vel non procedat: hæc enim sunt aperte contradictoria, ut constat.

IV.

Influxus Dei in actu primo & in actu secundo.

Notandum, influxum Dei cum causis secundis esse duplicem, in actu primo; & in actu secundo. Influxus Dei in actu primo nihil est aliud, quam ipsa voluntas Divina parata cum creaturis ad earum operationes concurrere, cum singulis juxta uniuscujusque naturam, & exigentiam. Influxus vero Dei in actu secundo est actio creata, per quam ad extra operatur Deus; & producit effectus: & de hac procedit præsens quaestio, non de influxu in actu primo; certum enim est illum distingui à creaturis, cum sit ipse Deus.

V.

Deus & creatura concurrunt eadem actione.

Conclusio: Deus & creatura concurrunt eadem semper actione ad effectus omnes rerum creaturarum. Ita Suar. d. 22 Met. f. 3. & l. 1. de Auxilijs, c. 4. Mol. l. p. q. 14. a. 13. Hur. hic d. 10. f. 3. Oviedo contr. 10. Phy. p. l. n. 12, estque communis inter recentiores. Et certe eo modo ponere duas actiones distinctas, ut ponebant aliqui, nempe disparatas, unam scilicet quâ Deus solus producat effectum, alteram, quâ creatura simul cum Deo, videtur planè carere fundamento: si enim illa prima actio Dei sufficit ad effectum à parte rei ponendum, quod ipsi ajunt, omnino superflua est secunda, abunde enim sine illâ ponetur à parte rei & conservaretur effectus dependenter à Deo, tanquam à causâ adæquatâ. Deinde, illa actio Dei est creatio, cum independenter ab omni subiecto producat effectum, actio autem procedens à creatura esset generatio, ergo effectus omnes producti à creaturis producerentur simul per creationem, & generationem.

VI.

Ratio à priori conclusionis.

Actionis non datur actio.

Probat utraque conclusio primò, actio quâ causa secunda agit, est verè creatura, ergo pendet à creatore seu Deo, sed non tanquam terminus productionis & in quod, seu ita ut detur alia actio Dei ad actionem illam terminata, actionis enim non datur actio, ergo pendet à Deo in quo, seu ut productio alterius, ergo per se fluit etiam à Deo tanquam actio & influxus Dei, seu quâ Deus etiam simul cum causâ secundâ producit effectum illum, quem producit creatura.

VII.

Actio creaturae non dependet à Deo à priori.

Dices; dependet actio creaturae ab actione Dei tanquam à concomitante, ita ut profluere à creatura non possit actio illa nisi alia actio profluens à Deo illam comitetur. Contrâ, primò actio creaturae pendere debet à Deo à priori, cum hic sit conceptus creaturae, ut scilicet dependat à Deo à priori tanquam à causâ; si autem hæ actiones solum se habeant concomitanter, actio creaturae non dependet à Deo tanquam à causâ, ut est manifestum: sicut nec partes minimi naturalis à se invicem pendunt à priori, esto nulla ex illis esse possit sine illarum aut similibus concomitantia. Contrâ secundò, jam enim sequeretur dari aliquam creaturam ad quam Deus non concurrat immediatè, imò & ad quam concurrere immediatè non possit, de quo, fusiùs dictum est sec. præcedente n. quinto.

VIII.

Actio Dei non potest terminari ad actionem creaturae.

Quòd verò non habeat Deus actionem terminatam ad actionem creaturae, & quâ sit causa actionis creaturae, ut aliqui volunt, præter superius dicta ostenditur, nam ad actiones liberas non potest hoc modo Deus concurrere, tolleret enim libertatem; illa namque actio Dei esset natura antecedens actionem creaturae, & vera causa illius, posita autem illa actione Dei, non potest non poni ejus effectus, seu actio creaturae ad quam dicunt eam terminari, cum implicet actionem esse sine termino, ergo posita illa actione Dei non potest non poni actio creaturae; sicut posita actione productivâ ignis, non potest non

poni ignis, seu effectus, ergo posita hac actione Dei, non est in potestate liberi arbitrij non operari; sed hæc actio Dei ponitur antecederet ad actionem creaturae, & omnino independenter ab illius consensu ac libero arbitrio, ergo infert vim voluntari, eamque ad operandum necessitat, cum, ut dixi, posito illius actionis Dei non sit in potestate liberi arbitrij, ergo voluntas antecederet ad operationem determinatur ad operandum per hanc actionem Dei, ergo pro aliquo priori ad operationem non est indifferens ad operandum & non operandum, ergo non est libera.

IX.

Deus immediatè etiam res omnes conservat.

Ex dictis in hac & superiore sectione infertur, Deum non ad primam solum rerum productionem, sed etiam ad conservationem concurrere immediatè, idque non tantum quando solus res conservat, sed etiam simul cum causis secundis immediatè in effectus singulos influendo, utpote quâ ab immediato Dei concursu, non in producendo tantum, sed etiam in conservando, omni quæ sua actione essentialiter pendunt.

X.

Quæres, utrum tanta requiratur virtus ad conservandum effectum, quanta ad eum primò producendum? Conimbr. hic cum alijs putant minorem requiri virtutem ad rem conservandum quam ad primò producendum. Suar. d. 21. Met. requirit æqualem. Dico itaque, per se loquendo, & ceteris paribus, eandem virtutem requiri ad conservandum, & ad primò producendum effectum, licet per accidens major subinde requiri possit ad eum primò producendum. Prima pars probatur, quia virtus requisita ad effectum per se loquendo pensanda est penes perfectionem effectus, & modum quo petit produci, sed quando ignis conservatur, est idem numero ignis, qui antea, & ejusdem perfectionis, modus item producendi est idem, nempe dependenter à subiecto, seu per generationem, ergo &c. Idem est in conservatione Angeli per creationem.

Eadem requiritur virtus ad rem conservandam, & primò producendam.

XI.

Per actionem requiritur virtus ad rem primò producendam.

Secunda etiam pars probatur, nam aliquando ut inducatur forma aliqua in materiam, in quâ sunt valida contraria, seu dispositiones repugnantes formæ introducendæ, requiri potest major virtus in causâ, non præcisè ad inducendam formam, sed ad vincendum contraria. Dico ergo, per se loquendo non requiri majorem virtutem ad rem primò producendam, & ponendam extra causas, quam ad eandem postea conservandam, nempe ex præcisâ ratione primæ productionis, & conservationis, si enim secundo instante requiratur minor virtus in causâ quam in primo, in tertio minor requireretur quam in secundo, in quarto quam in tertio, & sic deinceps, quod tamen nullus concedet: adde, conservationem rei nihil aliud esse quam iteratam ejus productionem, ergo per se loquendo, par virtus requiritur ad utramque.

SECTIO V.

In quo consistat concursus Dei in actu primo.

UT causa aliqua creata proximè expedita sit in actu primo ad agendum, varia requiruntur: I. imprimis entitas causa, ignis ex. g. actu existens, secundo passum, tertio, approximatio seu applicatio ignis ad passum, quarto demum, concursus Dei in actu primo, seu voluntas quâ paratus est cum causis secundis concurrere. Præcipua autem difficultas est de causis liberis, quæ nimirum sit voluntas, quâ Deus suam ijs omnipotentiam in actu primo applicet, & salvâ earum libertate compleat ad agendum.

Notus

Nodus hic semper visus omnibus est soluti difficilissimus, qui proinde auctores in varias distraxit sententias, quarum præcipuas hic obiter subijciam, & postea quid mihi similis vero videatur, aperiam.

II. Dicunt ergo aliqui omnipotentiam Dei omnia necessariò producere nisi per voluntatem Dei impediat. Actus ergo, inquit, quæ ex parte voluntatis Divinæ sit applicatio omnipotentia, est iste, nolo impedire omnipotentiam meam, quo minus producat hunc actum, volo tamen impedire quo minus producat alios.

Hinc duo inferunt, primò quæ ratione omnipotentia causæ liberæ creatæ applicetur: secundò, quo pacto Deus permittit solum, se habeat circa peccatum, non illud ullo modo volendo positivè.

III. Contrà primò, non minus sancta & pura est Dei omnipotentia quam voluntas, si ergo sanctitas omnipotentia non obstat quo minus physicè producat peccatum, nec obstat sanctitas voluntatis quo minus illud producere velit. Contrà secundò, nam etiam circa res omnes alias, præter peccatum, videtur secundum hunc procedendi modum habere se Deus tantum permittit. Contrà tertio, ægrè enim explicatur objectum illius actus, nolo ponere impedimentum. Contrà quartò, & præcipue, hic enim modus explicandi applicationem omnipotentia Divinæ contrarius videtur modo loquendi scripturæ, quæ rerum productionem & conservationem tribuit positivæ voluntatis Divinæ determinationi: sic ad Ephel. 1. v. 11. dicitur, qui operatur omnia juxta consilium voluntatis suæ, & Sap. 11. v. 26. Quomodo possit aliquid permanere nisi tu voluisses?

IV. Secundus aliorum procedendi modus est, qui dicunt voluntatem, quæ Deus causæ liberæ omnipotentiam suam applicat, esse formaliter conditionatam, ita ut dicat Deus, volo tecum ad actum amoris concurrere, si tu amorem elicias, sin ad odium te determinaveris, ego tecum concurram ad odium. Sed contrà, implicat ut determinatio seu actio voluntatis creatæ antecedeat decretum applicandi omnipotentiam, omnipotentia enim physicè cum voluntate creatæ determinationem illam efficit, ergo pro illo signo est jam applicata omnipotentia, ergo voluntas illam applicandi non potest esse in signo aliquo posteriore, cum decretum hoc, seu voluntas Dei sit causa applicationis omnipotentia, ergo illam antecedit: cum tamen, secundum hanc sententiam, voluntas hæc Dei subsequi debeat determinationem, seu operationem voluntatis creatæ prævisam, illamque ut conditionem supponat.

V. Tertiò, alij affirmant illam Dei voluntatem, quæ omnipotentiam suam voluntati creatæ ad agendum applicat, esse decretum efficax quo absolutè vult effectum, quem proinde in hoc decreto videt certissimè sequuturum. Contrà, decretum hoc, cum secundum illos antecedeat actum, planè tollit libertatem, cum nec in voluntatis potestate sit ut hoc decretum non ponatur (in quo differt à prædeterminatione) nec illo posito possit voluntas non elicere actum, ad quem determinat.

VI. Dices, etiam posito hoc decreto, posse voluntatem creatam actum illum, cujus est hoc decretum, non elicere, ita enim actum hunc per illud decretum vult Deus, ut velit illum elici liberè. Contrà, sic enim vellet Deus pugnantia, in actu enim signato vult actum illum elici liberè, & in actu exercito ponit aliquid, quod essentialiter impedit quo minus fiat liberè, cum hoc decretum simpliciter antecedeat actum, & cum illius negatione stare nequeat.

VII. Quartò, dicunt nonnulli voluntatem creatam pro aliquo signo naturæ & rationis antequam actum eliciat, se per mutationem virtutalem ad illum virtualiter, & inchoatè determinare, hæc autem vir-

tuali determinatione ad certum aliquem actum prævisam, Deus dat ei concursum in actu primo determinatum ad illum actum eliciendum, & per decretum efficax omnipotentiam suam, ita ad hunc actum applicat, ut nec in potestate voluntatis creatæ sit cum omittere, nec alium elicere. Si autem quæras, ad quid virtutalem illam determinationem in voluntate statuatur? respondent, quia actus determinatus à principio indeterminato procedere non potest: ita Coninck 3. p. q. 77. a. 1. d. 1. n. 6. Albertinus corollar. 2. ex sexto princip. n. 26. Raynaudus d. 8. Theol. mor. q. 2. a. 4. n. 87. & alij nonnulli.

Sed contrà, ut ab hoc ultimo incipiam, virtualis illa determinatio procedit à principio indeterminato, ergo & ab eodem procedere potest actus. Consequentia videtur evidens: Antecedens probatur, determinatio enim illa virtualis procedit immediate à voluntate, nec enim ad hanc determinationem poni potest alia, sic namque iretur in infinitum. Contrà secundò, hoc enim est mysterium actus liberi Dei passim in res creatas inducere, omniaque obscuritate & tenebris involvere, nec difficultatem hanc solvere, sed alteri infinitis majori legentium mentes implicare.

IX. Contrà tertio, posita illa virtuali determinatione ad actum peccati, odij Dei ex. g. voluntas adhuc non peccavit, ergo si Deus intuitu virtualis illius determinationis, vel absolute, & efficaciter odium Dei, vult ut peccet, quod summam suam bonitatem est planè indignum. Imò Deus esset peccati illius causa, cum nec sine hac efficaci Dei voluntate, secundum hos auctores, fieri peccatum illud possit, nec eam posita omitti. Contrà quartò, Deus peccatum, etiam dum fit, non vult, sed averlat & odit, multò ergo minus efficaciter illud vult antequam sit, & ad illud, ut sit, positivè inclinat.

Alij concursum hunc Dei in actu primo explicandi modi videri poterunt apud P. Ariag. d. 10. Phy. f. 2. & P. Oviedo contr. 10. Phy. p. 4. ubi eos fusè & benè refutant. Præcipui sunt quos hic recensui. Quædam tamen hac de re addam in libris de Anima d. 27. f. tertia, ubi hac de re iterum redibit sermo.

SECTIO VI.

Verus modus explicandi concursum Dei in actu primo.

PRIMA Conclusio: Deus in actu primo voluntate quadam generali paratus est ad concurrendum cum creaturis ad omnes earum operationes: qui concursus generalis à creaturis, prout res tulerit, nunc ad hunc effectum, nunc ad illum applicatur, dum vel causæ liberæ se ad operandum determinant, vel necessariæ in variis circumstantiis positæ, effectus suos quodam naturæ impetu producant. Concursus ergo Dei in actu primo est indeterminatus ex se, & indifferens ad hunc vel illum actum, nec magis ad hunc inclinatur, quam ad alium, nec ad actum quam negationem actus, determinatur verd à causis secundis, ad quarum operationes secundum leges causæ universalis, & ut operetur tanquam auctor naturæ, ac juxta naturale bonum universi, concurrere tenetur, atque ut indemnem servet libertatem voluntatis creatæ, & cum ea, ac rebus omnibus conformiter ad cujusque naturam operetur: quod est maximum bonum universi.

Deus ergo ut auctor naturæ generalem hujusmodi concursum semper rebus omnibus offerre tenetur, idque licet videat fore, ut voluntas creatæ subinde se determinet ad actum pravam, & concursu hoc

virtualis voluntatis creatæ.

VIII. Rejicitur virtualis ista determinatio.

IX. Virtualis hæc determinatio, licet admittatur, non solvit difficultatem.

X.

I.

Deus ad concurrendum cum creaturis, prout res tulerit, nunc ad hunc effectum, nunc ad illum applicatur, dum vel causæ liberæ se ad operandum determinant, vel necessariæ in variis circumstantiis positæ, effectus suos quodam naturæ impetu producant.

Concursus Dei est ex se indeterminatus.

II.

Ecce

hoc

Concursus
Dei genera-
lis maxi-
mum natu-
ra bonum.

hoc generali ex se indifferente abutatur, & ex sua pervertitate applicet ad malum, ob quod tamen non est rationi consonum, ut Deus interruptat generalem illam voluntatem, & legem de concurrente cum causis secundis immutet, cum ad maximum naturæ bonum spectet ut rebus omnibus modus operandi ipsarum naturis conformis permittatur. Sicut si quis, cui ex officio incumbit vendere gladios, licet sciat multos iis ad innocentium cædes abuturos, ipse tamen mortis illorum causa dici nequit, nisi ad summum per accidens, quia scilicet alio fine gladios iis vendidit, nempe vel ornatus causa, vel ut se data occasione defenderent.

III.

Voluntas
quæ Deus
applicat om-
nipotentis-
simæ, est vir-
tualiter con-
ditionata.

Secunda Conclusio: voluntas hæc generalis quæ Deus omnipotentiam suam offert & applicat creaturis, non est simpliciter efficax, ita nimirum ut absolute velit eas hac sua omnipotentia uti, & actus aliquos elicere; nec etiam est formaliter conditionata ob inconvenientiam contra hunc respondendi modum posita sec. præcedente n. 4. sed est voluntas quædam inefficax, & virtualiter conditionata, quæ in manu quasi liberi arbitrij ad hos effectus ponit suam omnipotentiam, ut uti eam possit vel non uti: sicque ex una parte nulla voluntati creatæ vis inferitur, ex aliâ verò omnia ad operandum necessaria ei abunde suppeditantur. Hoc modo procedere videtur Suar. d. 22. Met. s. 4. n. 14. & l. 1. de concursu Dei c. 14. n. 5. P. Monæus d. 3. c. 9. & alij.

IV.

Hic expli-
candi modus
nihil derogat
majestati
divine.

Objicies primò: hunc modum procedendi parum Majestati Dei & honori consulere, utpote quo indignum videtur omnipotentiam suam in manu voluntatis creatæ ponere, hoc enim objectionem quandam præferre videtur, dignitati divinæ supremæque ejus excellentiæ parum consonam. Resp. nullam hic esse subjectionem, Deus enim quod hac in parte facit, liberè facit, à nullo coactus, nisi à bonitate sua, quæ ita omnipotentiam rebus creatis permittit, & attemperat, ut penes ipsum sit momentis singulis concursus, quem præbet, suspendere. Unde hæc voluntas, Dei bonitatem, liberalitatem, ac munificentiam commendat, nihil officit dignitati.

V.

Hæc Dei
voluntas
melius ex-
plicatur per
particulam
Quando,
ergo hanc Dei
voluntatem non
esse formaliter,
sed tantum virtualiter
conditionatam, &
melius expli-

Objicies secundò: actio voluntatis creatæ, & concursus Dei in actu secundo, sunt secundum nos eadem entitas, ergo si actus quo Deus omnipotentiam suam voluntati creatæ applicat, sit conditionatus, nempe *volo concurrere si voluntas creatæ operetur*, perinde est ac si diceret, *volo concurrere, si ponatur meus concursus*, operatio enim creatæ voluntatis, ut dixi, & concursus Dei sunt idem. Resp. convincere evidenter hoc argumentum, voluntatem Dei, quæ suam voluntati creatæ omnipotentiam applicat, non esse formaliter conditionatam, sicque benè impugnat secundam sententiam sec. præcedente relata. Dico ergo hanc Dei voluntatem non esse formaliter, sed tantum virtualiter conditionatam, & melius expli-

cari per particulam *quando*, quàm si, ita ut dicat Deus, *quando voluntas creatæ operatur, ego simul cum ea concurrām*: quo decreto posito, operante voluntate creatâ, unâ operatur Deus, & cum eâ pariter concurrat. Hæc optimè explicantur per concursum habituum naturalium, vel supernaturalium, qui, operante voluntate, simul cum illâ eadem numero actione concurrunt.

Objicies tertio: etiam concurrente Deo operatur voluntas creatæ, cum sit eadem actio, ergo tam dici possit si vel *quando Deus concurrat, operabitur voluntas creatæ*, ac è contrâ. Resp. realiter loquendo, & quoad rem ipsam ita esse: quoad modum tamen operandi, determinatio merito tribuitur causæ particulari, cum universalis ex se, & modo concurrenti sit indifferens, ut in cælo, & sole constat, quæ ab igne determinantur ad producendum ignem, à leone ad leonem, ab equo ad equum &c. licet eadem cum his omnibus actione concurrant.

Objicies quarto: actus inefficax voluntatis, licet interius aliquos actus excitare possit, nihil tamen operatur ad extra, qui enim inefficacem tantum habet voluntatem ambulandi, aut fumendi medicinam, ad neutrum se unquam efficaciter accinget, ergo applicatio omnipotentia, ut sit efficax, fieri debet non per actum conditionatum & inefficacem, sed per efficacem & absolutum. Resp. si determinatio ad operandum, seu producendum actum liberum fieri deberet à Deo, habere necessariò deberet actum efficacem: at cum determinetur hic & nunc à voluntate creatâ, sufficit voluntas inefficax illius operationis, quæ, operante creaturâ, transit in efficacem & absolutam. Addo, licet hæc Dei voluntas sit inefficax respectu operationum voluntatis creatæ, (utpote quas per hoc decretum non prædefinit, nec eam ad operandum prædeterminat) est tamen efficax respectu exhibitionis omnipotentia, quam verè in potestate liberi arbitrij per hunc actum ponit, ita ut jam uti eâ ad quemcunque voluerit actum, possit, quod tamen, nisi talis in Deo actus præcederet, non posset.

Quæres, concursus hic Dei respectu concursus voluntatis creatæ, sine antecedens an subsequens? Resp. realiter loquendo esse neutrum, sed esse concomitantem. Unde, Deus & creatura concursu subsistendi multaneo ad operationes omnes creatas influunt. Dicit tamen potest concursus Dei prior subsistendi consequentiâ, cum non valeat consequentiâ ab operatione Dei ad operationem creaturæ, valet tamen ab operatione creaturæ ad operationem Dei, legitima enim est hæc consequentiâ, *operatur creatura, ergo operatur, vel cooperatur Deus*, non tamen è contrâ, *operatur Deus, ergo operatur creatura*, cum Deus absque creaturâ producere infinita possit, creatura sine Deo nihil.

DISPUTATIO XXIX.

De concursu Dei ad actum malum.

Argumentum præcipuum Durandi, quod Deus esset causa peccati.

Præcipuum argumentum pro sententiâ Durandi negantis Deum immediate cum creaturis ad actus suos concurrere, est quod inde sequi videatur, Deum esse causam peccati: si enim ad omnes creaturarum effectus concurrat, ergo & ad actiones earum peccaminosas: imò actio mala pro-

cederet etiam à Deo, ergo Deus tam esset causa peccati, quàm creatura, seu voluntas creatæ: quod tamè damnatum est in Concilio Triden. sess. 6. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permisisse solum sed etiam propriè, & per se, &c. anathema sit.*